



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Michaelis Dilherri Contemplationes, Et Suspiria Hominis Christiani

Dilherr, Johann Michael

Norimbergae, 1660

XXIV. De Christi Sepultura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10209

*Quicumq; enim ad vulne-
ra & pretiosa stigmata con-
fugit: magnam, in tribula-
tione, sentit confortationem;
& consolatione perfruitur,
quam unicè anima requirit.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXIV.

De Christi Sepultura.

FInis ergò tandem datur laborum:
& peracto ac perfecto redemptio-
nis opere, ac soluto lytro sufficientis-
simo, sepulcrum corpus malè habi-
tum accipit tegitqve. Fidelis nempè
Deus est, Christe, Deus meus! qui la-
borum, tentationum, dolorum, angu-
stiarum, persecutionum statuit termi-
num opportunum.

H 3

Pro-

Propter peccata mea mortuus es, & post mortem, sepeliris: at ut, propter justitiam meam, ex sepulcro resurgas.

Anteqvam dies parasceves tota esset elapsa; de cruce deportaris: acceleret & nostrum Pater tuus, ex hac parasceve, & ad cœleste iter præparatione, abitum: ut citiùs ad te perducamur, & sabbatum ex sabbato celebremus.

Non erat contumelia, qvin oneratus eâ in cruce fuisses; non erat ignominia, qvin corpus tuum eâ esset dehonestatum: at absterrere hæc non potuere viros in Judæo populo præcipuos, Nicodemum, qvem nocturno erudieras colloquio, & discipulum lucratus eras occultum; ac Josephum Arimathæum, Senatorem, locupletem, bonum, pium.

Perpenderas in ligno inter latrones; aufugerant tui comites electi; exclamaverat tota recutitorum colluvies: crucifige! crucifige! tolle! tolle! Pilatus morti te addixerat, & cruciarium æstimaverat: nihil tamen pertimescen-

mescentes illi, per medium perversorum agmen perrumpunt; Pilatum adeunt compellantque ut cadaver infame (at cœleste depositum) ipsis largiatur, loco maximi muneris futurum.

Quo vos animi robore fuisse existimem? quis vos spiritus animavit? quæ fiducia excitavit, Nicodeme & Josephæ! aureæ arboris pauculæ reliquæ? Non cogitabatis, vos Christi, quem seductorem & pacis publicæ turbatorem vociferabantur, complices habendos, Senatu deturbandos, à Pilato increpandos, à populo lapidandos? Sed accensus in vobis erat fidei ignis: qui intra præcordia se continere nescius undiquaq; præluet.

O miram Dei in fidelibus suis virtutem! ô imperscrutabiles ipsius operationes! Audierant publicè discipuli crucifixum, ultra triennium; nutriti & edocti ab eo fuerant liberaliter & diligenter: sed, increbescens tantis discriminibus, Doctorem deserunt.

Clàm accesserant Christum Nicodemus

demus & Josephus, metuentes, ne populi odium in se concitarent: jam ubi omnia videntur desperata; quem coluerint, quem audierint, quem venerati fuerint, quem ament etiamnum honorentq; , non diffitentur.

Quanta virtus tua in infirmis! quanta perfectio tua in imperfectis!

Me quoque utinam nemo separet à charitate Christi! nec afflictio, nec angustia, nec persecutio, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec gladius! Sed persuasum mihi est: neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque presentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino meo.

Involvunt seduli te illi cultores tui linteo mundo; condiunt myrrhâ atq; aloë: utinam acerbissimâ me contritione humiliem, & , à peccatis purgatus, mundo te corde suscipiam!

Condunt ponuntq; in sepulchro
NOVO,

NOVO, in quod repositus non fuerat
 alius : utinam in cor meum , Spiritu
 sancto tuo renovatum, nemo unquam,
 nisi tu, ingrediatur ! Multa libentes, tuâ
 causâ, impendunt ; nec parcere sumti-
 bus præsumunt : impendam & ego ,
 pro te, sanguinem vitamque : etiam pro
 tuis ; quæcunque , præter sanguinem,
 in hac vita mihi suppeditasti !

Cùm animam meam ab hoc hujus
 stercoris utre avocabis : nihil cogitem ;
 nisi mortem tuam, nisi sanguinem tuum,
 nisi vulnera tua , nisi coronam tuam !
 Cùm sepulchrum horruero : ne cogi-
 tem in alio me sepulchro recondi,
 quàm in eo : quod tuo tu corpore at-
 tigit, quod tuis tu stigmatibus san-
 ctificasti : ut jussu tuo mihi, resurrectu-
 ro tecum, vivere liceat !

CONTEMPLATIO-
 NUM ET SUSPIRIO-
 RUM HOMINIS
 CHRISTIANI

XXV.

De Christi Resurrectione.

H s

Confi-